



Opvs Theologicvm

In Tres Tomos Distribvtvm, In quo praecipua totius Theologiae capita accurate pertractantur ... Adiecto ad finem Tertij Tomi Indice rerum notabilium

Qui totam primam partem D. Thomæ, ac multa alia continet, quorum Indicem sequens pagina dabit

Mauro, Silvestro

Romae, 1687

Q. 69. Vtrum Deus omnia, quæ decernit, in eodem signo, & eodem decreto indiuisibili decernat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84111](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84111)

stat. Dictum est etiam, quod includit tum intentionem finis, tum electionem medi-
orum.

QVÆSTIO LXVIII.

*Utrum Deus ad omnia sua decreta libera diri-
gatur à tota scientia Deo non libera?*

1. **V**idetur, quod Deus non ad omnia sua decreta libera debeat dirigi à tota scientia Deo non libera. Aliqua enim scientia omnino impertinenter se habet ad quædam decernenda: ex. gr. ad decernendum creare, vel non creare muscam A. impertinenter se habet scientia mediæ, qua Deus videt, quid liberum arbitrium Petri sit futurum, si poneretur in his, vel illis circumstantiis; sed Deus ad obiecta decernenda non debet dirigi à scientia, quæ omnino impertinenter se habet ad decernenda talia obiecta; ergo Deus ad decernendum creare, vel non creare muscam A. non debet dirigi à scientia mediæ, qua videt, quid liberum arbitrium Petri esset futurum, si poneretur in his, vel illis circumstantiis, ac proinde non ad omnia decreta debet dirigi à tota scientia sibi non libera. Ex proportionali ratione ad decretum, quo prædestinavit S. Petrum, Deus non debuit dirigi à scientia mediæ, qua vidit, quod si Turca poneretur in talibus circumstantiis liberè saltaret, cum talis scientia sit omnino impertinens ad decernendam prædestinationem Sancti Petri.

2. Respondeo, quod quia ex dictis quæstione 67. num. 4. diuina providentia ad sua decreta libera, quibus res ordinat ad suos fines, dirigitur à scientia, examinandum est, utrum ad omnia sua decreta libera dirigatur à tota scientia, quam habet; & quia Deus habet tum scientiam simplicis intelligentiæ, & mediæ Deo liberam, tum scientiam visionis Deo liberam, debemus hac quæstione examinare, utrum ad omnia sua decreta libera dirigatur à tota scientia non libera.

3. Dicendum: Deus ad omnia sua decreta libera dirigitur à tota scientia Deo non libera; & quia non solum tota scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam tota scientia mediæ est Deo non libera, ut suppono ex quæst. 45. & 46. de scientia mediæ, ideo Deus ad omnia sua decreta dirigitur à tota scientia simplicis intelligentiæ, & à tota scientia mediæ.

4. Probat: nam qui habet aliquam cognitionem, qua dirigi potest ad sapientissimè decernendum, eaque non vitur, imprudenter operatur; sed Deus habet scientiam simplicis intelligentiæ, ac mediæ, eaque potest uti ad quodlibet sapientissimè decernendum; ergo ad quodlibet decernendum vitur, ac dirigitur à tota scientia simplicis intelligentiæ, & mediæ. Probat, & explicatur minor. Ut Deus sapienter decernat creare muscam ex. gr.

debet dirigi cognitione, qua comprehensivè cognoscat omnes vsus, ad quos potest ordinare muscam in cunctis casibus possibilibus, & in omnibus euentibus, qui darentur, si quodlibet arbitrium liberum posset in his, vel illis circumstantiis, faceret hoc, aut illud; e. g. debet dirigi cognitione, qua cognoscit, quod possit uti musca ad puniendam duritiem Pharaonis, qui si poneretur in his circumstantiis, nollet obedire Deo per Moysen præcipienti, ut sineret Israelitas discedere ab Ægypto: sed cognitio, qua Deus cognoscit, ad quos vsus possit adhibere muscam pro omnibus casibus possibilibus, includit totam scientiam simplicis intelligentiæ omnium casuum possibilium: cognitio, qua cognoscit, quo pacto possit adhibere muscam pro omnibus euentibus, qui de facto ponerentur dependentes à quolibet libero arbitrio constituto in hoc, vel in illo actu proximo, includit totam scientiam mediæ; ergo Deus ad sapientissimè decernendam creationem muscæ debet dirigi à tota scientia simplicis intelligentiæ, & à tota scientia mediæ. A fortiori ad sapientissimè decernendam permissionem peccati Adæ, Incarnationem Verbi &c. debet dirigi à tota scientia simplicis intelligentiæ, & mediæ, per quas cognoscat, quo pacto possit uti peccato Adæ, Incarnatione &c. pro omnibus casibus possibilibus, & conditionatè futuris dependentes à quolibet arbitrio creato.

5. Ad argumentum in contrarium nego antecedens. Offensum enim est nullam scientiam Deo non liberam impertinenter se habere ad vllum obiectum sapientissimè decernendum.

QVÆSTIO LXIX.

*Utrum Deus omnia, quæ decernit, in eodem
signo, & eodem decreto indivisibi-
li decernat?*

1. **V**idetur Deus non omnia, quæ decernit, in eodem signo, & per idem decretum decernere, sed aliqua decernere in signo priori, aliqua in signo posteriori, puta in primo signo eligere finem, in posteriori modum &c. primo quia, ut arguit Scotus in 3. dist. 29. Qui ordinatè vult, prius vult finem, quam modum, & ex mediis prius vult modum propinquiora fini; sed Deus omnia vult ordinatissimè; ergo prius vult finem, deinde modum, ex. gr. prius vult Sanctum Petrum, & alios prædestinatos saluari, deinde vult illis dare modum, siue auxilia efficacia, per quæ infallibiliter saluentur.

2. Secundò intentio finis debet mouere ad intentionem mediorum: ex. gr. intentio, qua Deus vult Sanctum Petrum, & prædestinatos saluari, debet Deum mouere ad danda Sancto Petro, & prædestinatis modum, & auxilia.

xilia, quibus infallibiliter saluentur: sed intentio finis non potest mouere ad electionem mediorum, nisi præcedat electionem mediorum; ergo intentio finis debet præcedere electionem mediorum.

3. Tertiò ea, quæ essentialiter præsupponunt peccatum, Deus non potest decernere, nisi prius præuideat absolutè peccatum; sed præuisio absoluta peccati supponit, vel includit decretum permittendi peccatum; ergo decretum, quo Deus vult bonum poenitentiae, conuersionis, & alia bona essentialiter supponentia peccatum, supponit decretum permittendi peccatum, ac proinde decretum permittendi peccatum est in signo priori, decretum, quo vult bona essentialiter supponentia peccatum, est in signo posteriori. Probatur maior: nam si Deus vellet poenitentiam, & alia bona essentialiter supponentia peccatum, absque eo quod prius præuideret peccatum, vellet etiam peccatum, quod est absurdum. Probatur sequela: nam qui vult vnum, quod dari non potest, absque eo quod præcedat aliud, nisi antecederet præuideat illud aliud futurum, vult etiam, vt præcedat illud aliud; ergo &c.

4. Quartò aliqui sunt præelecti, & prædestinati ante alios, ex. gr. Christus est præelectus, & prædestinatus ante omnes alios; Angeli fuerunt præelecti, & prædestinati ante homines: sed non possent esse præelecti, & prædestinati ante alios, nisi Deus illos prius elegisset, & prædestinasset, quam alios; ergo.

5. Quintò si Deus omnia simul decreuit, non potest explicari, quo pacto vnum sit causa moralis alterius; ex. gr. si Deus simul decernit dare electis merita, quibus mereantur gloriam, & ipsam gloriam vt coronam, & præmium meritorum, non potest explicari, quo pacto merita sint causa moralis præmij, hoc est gloriæ.

6. Sextò si Deus simul decernit dare reprobis gratiam sufficientem, per quam possint saluari, & simul decernit negare illis gratiam efficacem, permittere, vt peccent, moriantur in peccato mortali, & damnentur, voluntas diuina dandi reprobis gratiam sufficientem non esset beneuola erga reprobos. Rursus si Deus simul vult dare prædestinatis gratiam sufficientem ad salutem, & vult efficaciter, vt saluentur, & vt talis gratia sit efficax, prædestinati non liberè, sed necessario saluantur, ac non possunt damnari, quæ sunt absurda; ergo dicendum est Deum non omnia, quæ decernit, simul, & in eodem signo, & eodem decreto indiuisibili decernere.

7. Respondeo, quod Theologi satis communiter distinguunt in Deo plura instantia, seu signa rationis, ac dicunt, quod Deus licet omnia decreuerit ab æterno, tamen aliqua decreuit in primo signo, aliqua in secundo, aliqua in tertio &c. quædam prius, quædam posterius. Sed non conueniunt in assignando

numero signorum, & aliqui assignant plura, aliqui pauciora signa. E conuerso alij negant hæc signa diuinorum decretorum, ac dicunt Deum liberè in eodem signo, siue instanti rationis omnia simul decreuisse, vt iam patebit, referendo præcipuas Theologorum sententias, quæ videri etiam possunt apud Vasquez to. 1. in 3. partem disp. 11.

8. Prima ergo sententia Caietani 3. part. quæst. 1. in Commentario art. 3. distinguit tria instantia, seu signa rationis, ac docet in primo instanti, seu signo Deum egisse, & quodammodo deliberasse de condendo toto ordine naturæ, in quo includuntur non solum defectus physici, quales sunt monstra, sed etiam morales, hoc est peccata, ac decreuisse totum ordinem naturalem producere, illumque per scientiam visionis vidisse vt conditum. In secundo signo docet Deum decreuisse ordinem gratiæ adoptionis, eumque vidisse vt conditum. In tertio signo decreuisse ordinem vnionis hypostatice. Iuxta hanc opinionem, Incarnatio decreta fuit in tertio signo.

9. Secunda sententia Scoti in 3. dist. 29. distinguit quinque instantia, seu signa rationis, ac docet Deum in primo signo intellexisse seipsum sub ratione summi boni: in secundo signo intellexisse omnes alias creaturas: in tertio prædestinasse quosdam ad gloriam, & gratiam, circa alios se habuisse præcisiuè; in hoc autem tertio signo prius Deus prædestinauit Christum vt venturum in carne, abstrahendo à passibili, & impassibili, deinde prædestinauit electos in Christo: in quarto præuidit electos casuros in Adamo: in quinto decreuit remedium per passionem Christi, & decreuit Christum in carne passibili. Eadem penè instantia distinguit Catharinus lib. de eximia Christi prædestinatione.

10. Tertia opinio Suarj tom. 1. in 3. partem disput. 5. parum differt à sententia Scoti, quam accommodat principijs de scientia media, & conciliare conatur cum sententia Sancti Thomæ. Docet ergo Deum in primo signo decreuisse Incarnationem vt optimo modo faciendam secundum circumstantias occurrentes, illamque voluisse propter suam excellentiam vt medium inter possibilia optimum, ad manifestanda quatuor præcipua Dei attributa, nimirum sapientiam, bonitatem, misericordiam, & iustitiam. In secundo signo Deus vidit per scientiam mediam, quod si Adam poneretur in talibus circumstantijs, peccabit, & quod si permittatur tale peccatum, remedium peccati per Christum erit optimus modus exequendi Incarnationem. In tertio Deus decreuit Incarnationem in remedium peccati, & Christum in carne passibili. Addit, quod si daretur scientia media de Adamo non peccaturo, fieret nihilominus Incarnatio ex vi primi decreti, quo decretum est propter suam excellentiam; sed non fieret in carne passibili.

11. Quarta sententia Vasquez 3. parte disput.

sp. 11. cap. 6. distinguit quatuor instantia, seu signa, ac docet Deum in primo signo permisisse peccatum Adami; in secundo per scientiam visionis vidisse illud ut absolute commissum, & in totum genus humanum propagatum; in tertio voluisse remedium peccati; in quarto decrevisse Incarnationem, in remedium peccati, tanquam propter finem motuum, & sine quo non incarnaretur.

12. Quinta sententia Molinæ 1. parte, quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. membro 7. lacobus Granado hic Tractatu 3. disput. 1. sect. 4. & aliorum docet chimericam esse hanc instantiam, & signorum successione, ac proinde Deum simul voluisse permissionem peccati Adami, & illius reparationem per Christum redemptorem, saltem ly simul dicente negationem prioris, & posterioris inter decretum prædefinitum Incarnationis, & decretum permissum peccati. Videri etiam potest Ruiz de voluntate Dei, disputatione 22. sect. 3.

13. Dicendum cum quinta sententia contra alias quatuor supra relatas: Deus omnia, quæ ab æterno decernit, simul, & in eodem signo decernit, & non decernit vnum prius, aut posterius, quam aliud, prioritate, quæ vnum decretum præcedat aliud.

14. Probatur: nam eatenus agens intellectuum non simul decernit omnia, quæ decernit, sed illa decernit successivè, & quasi per partes, & occasionaliter, quatenus per cognitionem, quæ dirigitur ad primum suum decretum, non sufficienter cognoscit quæ spectant ad alia prudenter decernenda; si verò sufficienter cognosceret quæ spectant ad omnia decernenda, decerneret omnia simul: e.g. Imperator exercitus decernit ordinem pugnae successivè, & per partes, quatenus cum decernit initium pugnae, non habet cognitionem sufficientem ad prudenter decernendas alias partes pugnae: si verò ad decernendum initium pugnae dirigeretur cognitione, quæ certissimè, & comprehensivè cognosceret omnes modos possibiles, quibus posset pugnam inchoare, prosequi, & ad finem perducere, & omnia, quæ posset facere, & de facto facturus esset hostis, si pugnam inchoaret, & prosequeretur hoc, vel illo modo, eo ipso deberet simul decernere totam pugnam: sed Deus per scientiam simplicis intelligentiæ, & mediam cognoscit comprehensivè cuncta, quæ spectant ad omnia sapientissimè decernenda; nam per scientiam simplicis intelligentiæ cognoscit omnia, quæ potest facere, & per mediam cognoscit omnia, quæ facturum esset liberum arbitrium creatum, si Deus faceret hoc, vel illud; ergo Deus debet simul decernere omnia, quæ decernit, & si decerneret successivè, & quasi per partes, imprudenter decerneret.

15. Infertur primò Deum non prius intendere finem, & post eligere media, sed si-

mul intendere finem, & eligere media. Eatenus enim prudens prius intendit finem, deinde eligit media, quatenus per cognitionem, quæ proponitur talis finis, non sufficienter cognoscit quæ spectant ad media; si verò finis proponeretur cognitione, quæ perfectissimè cognosceret quæ spectant ad media, deberet simul intendere finem, & eligere media; sed Deus dirigitur ad intentionem finis, puta salutis Sancti Petri, per scientiam simplicis intelligentiæ, & per mediam, per quas comprehensivè cognoscit omnia, quæ spectant ad media; ergo simul intendit salutem Sancti Petri ut finem, & eligit media, per quæ Sanctus Petrus fuit salvatus, & inconueniens est, ut intendens finem, quodammodo differat electionem mediorum. Hinc rejicitur sententia Suarii, qui in Deo distinguit decreta per modum intentionis à decretis per modum executionis. Deus enim eodem decreto intendit finem, eligit media, & vult hæc omnia exequi, ac proinde idem decretum est simul intentuum finis, electuum mediorum, & executivum tum mediorum, tum finis.

16. Infertur secundo, quod Deus non prius decernit permittere peccata, deinde decernit poenitentiam, punitionem, & alia bona, quæ est eliciturus ex peccatis, sed simul, & per idem decretum decernit permittere peccatum, & omnia bona, quæ est eliciturus ex peccato. Confirmatur: nam Deus vult permittere peccatum propter bona, quæ est eliciturus ex peccato; ergo in signo, quo vult permittere peccatum, intelligitur velle bona, quæ est eliciturus ex peccatis.

17. Potest quæri, vtrum Deus omnia decernat non solum simul, sed etiam vnico indivisibili decreto?

28. Respondeo, quod omnia decernit vnico indivisibili decreto ex parte actus, cum omnia decernat decreto identificato cum essentia diuina, in qua nullæ dantur formalitates, non solum realiter, sed neque virtualiter intrinsecè distinctæ, ut dictum est quæst. 22.

19. Sed quæritur rursus, vtrum Deus decernat omnia vnico decreto indivisibili etiam ex parte applicationis actus ad objecta, quam applicationem in quæst. 36. diximus esse extrinsecam Deo. Probabile est, & commodius ad plura explicanda circa nostros actus liberos, decretum diuinum, quo simul decernit omnia, compleri per applicationes, & complementa realiter distincta, licet omnia intelligentur in eodem signo, sine vilo ordine prioris, & posterioris.

20. Infertur tertio, quod Deus ad nullum suum decretum dirigitur à scientia sibi libera; & quia tota scientia visionis est libera Deo, ideo Deus ad nullum suum decretum dirigitur à scientia visionis.

21. Probatur: nam nemo ad aliquid decernendum dirigi potest à scientia fundata in ipso

ipso suo libero decreto vt absolute existente : ex. gr. Imperator ad decernendum, quo pacto aciem instruat, non dirigitur à scientia absoluta, qua cognoscit se sic aciem instruere, quia talis scientia dependet à decreto sic faciem instruendi; sed omnis scientia visionis fundatur in decreto diuino, quod ex dictis supra testatur vnicum, & indiuisibile; ergo Deus ad nullum diuinum decretum dirigitur à scientia visionis.

22. Ad 1. distingo maiorem: qui ordinatè vult ordine conueniente sapientiæ infinitæ, prius vult finem, quam media, nego: ordine conueniente sapientiæ finitæ, concedo: distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Deo, qui propter suam infinitam sapientiam per cognitionem, qua dirigitur ad volendum finem, perfectissimè dirigitur etiam ad volenda omnia media, conuenit hic perfectissimus ordo volendi, vt simul velit finem, & omnia media. E conuerso nobis, qui propter limitationem, & imperfectionem nostram sapientiæ per cognitionem, qua dirigimur ad volendum finem, non sufficienter dirigimur ad volenda media, conuenit oppositus, & imperfectus ordo volendi, nimirum vt prius velimus finem, quam media, vt explicatum est num. 14. ergo vt Deus velit ordinatissimè ordine conueniente infinitæ sapientiæ, debet simul velle finem, & omnia media. Licet autem Deus velit omnia simul simultate se tenente ex parte actus volendi, non vult omnia simul simultate se tenente ex parte rerum volitarum, sed vult, vt quædam volita existant prius, quædam posterius: ad perfectionem autem diuinæ voluntatis pertinet quidem, vt res velit eo pacto, & ordine, quo sunt futura, ordine, & modo se tenente ex parte rerum volitarum, non autem ordine, & modo se tenente ex parte actuum volendi. Nam ea, quæ sunt in tempore, & successiue, Deus vult ab æterno, & simul.

23. Ad 2. distingo maiorem: intentio finis in agente imperfecto debet mouere ad electionem mediorum, concedo; in agente perfectissimo, nego: concedo minorem; & distingo eodem pacto consequens. Ex nostra imperfectione, propter quam cognoscimus finem ita imperfectè, vt non simul cognoscamus quæ spectant ad media, oritur, vt prius intendamus finem, deinde ex intentione finis moueamur ad consultandum de medijs; sed Deus cognoscit finem cognitione ita perfectâ, vt simul cognoscat omnia spectantia ad media; ergo intentio finis non mouet Deum ad eligenda media, sed Deus simul intendit finem, & eligit omnia media.

24. Ad 3. nego maiorem. Ad probationem nego sequelam; ad probationem nego antecedens, ac dico, quod vt quis velit vnum, quod non potest dari absque eo quod præcedat aliud, non est necesse, vt illud aliud velit, sed sufficit, vt illud permittat. In casu nostro

Deus videt bonum poenitentiae, conuersionis, & alia bona essentialiter supponentia peccatum non posse poni, nisi præcedat peccatum; videt etiam se non posse peccatum velle, sed posse permittere; & videt, quod si permittat peccatum, peccatum fiet; ergo potest simul velle permittere peccatum, & velle poenitentiam, & alia bona essentialiter supponentia peccatum.

25. Dices: qui vult finem, vult etiam media necessaria ad finem; sed peccatum est medium necessarium ad poenitentiam, & ad alia bona essentialiter supponentia peccatum; ergo.

26. Respondeo, transeat maior, & nego minorem. Medium ad finem est, quod habet virtutem causandi finem, vel disponendi ad finem; quod autem caret tali virtute, non est medium; sed peccatum non habet virtutem causandi poenitentiam salutarem, vel ad illam disponendi; ergo &c. Confirmatur: nam ineptè dicitur ægritudinem esse medium ad remedium ægritudinis, ergo à pari. Ad medium igitur non sufficit, vt sit aliquid necessario prærequisitum ad aliud, sed requiritur, vt habeat virtutem causandi, vel saltem disponendi ad illud.

27. Ad 4. distingo maiorem; aliqui sunt præelecti, & prædestinati ante alios prioritate, qua ipsi præcedant alios, concedo: prioritate, qua decretum electiuum, & prædestinatum ipsorum præcedat decretum electiuum, & prædestinatum aliorum, nego; distingo eodem pacto minorem; & nego consequentiam. Christus fuit electus, & prædestinatus ad hoc, vt esset primus prædestinatorum, & præcederet cæteros prædestinatos dignitate, gratia, beatitudine, & vt esset finis aliorum prædestinatorum, ita vt alij prædestinarentur ad gloriam ipsius Christi. At non fuit primus prædestinatorum primitate, & prioritate, qua prædestinatio Christi præcesserit prædestinationem aliorum. Deus enim simul prædestinavit Christum ad hoc, vt esset primus omnium prædestinatorum, & vt præcederet cæteros, & alios omnes prædestinavit ad hoc, vt suo ordine præcederentur à Christo, dignitate, beatitudine &c. Proportionaliter Angeli fuerunt electi, & prædestinati ante homines per hoc, quod fuerunt electi, & prædestinati ad consequendam beatitudinem ab initio mundi ante omnes homines, & ad cooperandum hominibus ad beatitudinem perducendis, non autem per hoc, quod decretum electiuum, & prædestinatum Angelorum præcesserit decretum electiuum, & prædestinatum hominum.

28. Ad 5. nego antecedens. Sicut licet Deus simul velit ponere Solem, & lucem, tamen vult, vt Sol sit causa physica lucis, & vt producat lucem, ideoque facit, vt Sol lucem producat physice per actionem productiuam lucis, quæ actio est modus distinctus à Sole, & luce: sic licet Deus simul velit merita, & gloriam,

E c

riam,

riam, tamen vult, vt merita sint causa moralis gloriæ, & vt moraliter causent gloriam. Si verò quærat, quid sit gloriam causari moraliter à meritis, respondeo, quod sicut lucem causari physicè à Sole, addit supra Solem, & lucem modum distinctum, qui est causalitas physica, qua lux causatur à Sole; sic gloriam causari moraliter à meritis, addit supra gloriam, & merita modum distinctum, qui est causalitas moralis, qua gloria causatur à meritis. Idem dic de alijs causalitatibus moralibus. Sicut ergo Deus vult, & facit, vt ex rebus extrinsecis vna physicè causet aliam, absque eo quod vnum decretum Dei physicè causet aliud; sic vult, & facit, vt vna res causet moraliter aliam, absque eo quod vnum decretum moraliter causet aliud, & sit prius alio. Docet hoc expressè Sanctus Thomas 1. parte quæst. 19. art. 5. in corpore dicens: *Vult ergo Deus hoc esse propter hoc, sed non propter hoc vult hoc.*

29. Dices: non solum præmium debet supponere meritum, sed etiam voluntas præmiandi debet supponere meritum; alioquin, voluntas præmiandi non esset remuneratiua, sed purè liberalis, siquidem voluntas, quæ non supponit debitum, est purè liberalis.

30. Respondeo, negando antecedens. Ad voluntatem remuneratiuam, & non purè liberalem, sufficit, vt supponat meritum ex parte rei volitæ, non requiritur, vt supponat meritum ex parte actus volentis; sed voluntas, qua Deus vult præmium, supponit meritum ex parte rei volitæ, siquidem præmium supponit meritum; ergo licet ipse actus volendi non supponat meritum, tamen voluntas non est purè liberalis, sed remuneratiua. Eadem igitur, vel simultanea voluntas, qua Deus vult dare meritum, & præmium, relatè ad meritum est purè liberalis, relatè ad præmium est remuneratiua, quia meritum vult dare gratis, ac nullo præcedente merito causante moraliter meritum, præmium vult dare non gratis, sed præcedentibus meritis causantibus moraliter præmium. Similiter ad actum iustitiæ strictæ sufficit, vt supponat ius strictum ex parte rei volitæ, non requiritur, vt supponat ius strictum ex parte actus volendi.

31. Ad sextum. In argumento proponuntur duæ difficultates ex professo examinandæ infra quæst. 82. & 86.

QVÆSTIO LXX.

Virum providentia sit æterna, vel temporalis, causam habeat, vel non habeat: semper consequatur suos fines, & bene dividatur in naturalem, & supernaturalem?

1. **P**rimò videtur diuina providentia non esse æterna, sed temporalis. Diuina

enim providentia nihil aliud est, quam ordinatio rerum creaturarum ad suos fines per media conuenientia; sed hæc ordinatio non est æterna, sed temporalis, cum sit in ipsis creaturis temporalibus; ergo &c.

2. Secundò videtur diuina providentia habere aliquam causam, & rationem. Providentia enim includit actus liberos diuinæ voluntatis, qui complentur per aliquid extrinsecum, vt dictum est quæstione 56; sed illud extrinsecum habet aliquam causam; ergo diuina providentia saltem quoad complementum extrinsecum actuum liberorum habet aliquam causam.

3. Tertiò videtur, quod diuina providentia non semper consequatur suos fines. Nam Deus cum velit omnes homines saluos fieri, vt dicitur 1. ad Timot. 2. omnes homines ordinat ad finem salutis æternæ per media, & auxilia conuenientia; sed non omnes homines consequuntur salutem; ergo &c.

4. Quartò videtur diuina providentia non rectè diuidi in naturalem, & supernaturalem. Nullus enim actus diuinus est Deo supernaturalis, ac supra naturam Dei; sed providentia consistit in actibus diuinis intellectus, & voluntatis; ergo &c.

5. Respondeo, quod vt absoluantur Tractatus de providentia diuina, breuiter expedienda sunt quatuor dubia in titulo proposita.

6. Dicendum igitur primò, respondendo ad primum, & secundum dubium, diuinam providentiam esse æternam, & incausatam, & esse causam per se, vel per accidens omnium temporalium, & causatorum. Probat: nam providentia consistit in actibus diuini intellectus, & diuinæ voluntatis, vt explicatum est quæstione 67. num. 4; sed tales actus sunt æterni, & incausati, cum sint ipsemet Deus, qui est æternus, & incausatus; ergo &c. Sicut verò Deus est causa per se, vel per accidens omnium temporalium, sic diuina providentia est causa per se quidem eorum, quæ Deus vult, per accidens eorum, quæ Deus purè permittit, cuiusmodi sunt ipsa peccata.

7. Ex eo, quod actus diuinæ providentiæ non causentur in vilo genere, sequitur, quod neque causentur in genere causæ finalis, & proinde quod sunt adæquatè propter se ipsos, & propter diuinam essentiam, non autem propter vllum finem extrinsecum, & creatum. Cum igitur asseritur, quod Deus intendit finem salutis prædestinatorum, vel alium finem creatum, sensus est, quod intendit salutem vt finem eorum, quæ facit, non autem vt finem voluntatis, qua vult facere, siquidem opera Dei sunt propter fines creatos, voluntas autem Dei non est propter vllum finem creatum.

8. Dicendum secundò, respondendo ad tertium dubium: diuina providentia semper consequitur fines, ad quos ordinat res ita, vt illos